Heinsio.

Vir Amplissime.

(45).

Politica quidem hactenus non vidi, sed, si quid hoc amplius est, expectans expectavi, et nisi amicitiæ nexus secutionem reddidisset, ~~prom~~ certe promissionum tuarum fides visa fuit non indigna cui incumberem, ut jam titulo speciali vindicare viderer posse, quod ne sub generali quidem elapsurum fore sperabam. Nunc verò, ubi nedum hâc, at ne illâ quidem eâ parte satis mihi prospectum animadverto, fatebor eam opinionem de amicitiâ hâc concepisse, quam nisi coactior haud libenter equidem proloquar. Ne vel sic tamen silerem, meâ interesse putavi; quo nempe certior fias, si potis est hactenus ut non fueris, quam usque tu et omnia tua in pretio nobis sint. Deinde solemnis rerum mearum vicissitudo adigit, ne non te interpellem. Si enim tanti est, scito nos itineri Brittannico tertium jam accingi, quandoquidem Patribus Patriæ sic placuit. Itaque si quidquam in iis partibus occursurum videtur, ubi operam ~~meam~~ nostram vel negligere vel dedignari nolueris, ecce ij sumus, Clarissime Heinsi, qui nemini mortalium libentius omnia nostra detulimus, nemini sanctius, nemini promptius impensuri sumus. Vale vir summe, et nisi planè tandem indigni videmur, vel amare nos perge, vel incipe. Hagæ 4°. Id: ~~[illegible]~~ Octobris 1621.

Tui Studiosissimus

C. Hugenius.

D: Heinsio.

Clarissime Domine.

(46).

Nihil porrò nisi magnum a te proficisci ~~potest~~ posse, ut novis quotidie experimentis nos inculces, pridem inter axiomata fidei litterariæ retulimus. Unde illud, eorum quæ ad eruditionem spectant, non aliunde charius quidquam nobis offerri, ~~quam~~ iis quos a tuâ manu etiam emendatos; quoniam in nostra novissimas, ~~hoc~~ ut ne referam per pudorem non licet, de quibus ~~[illegible]~~ amore atque ~~[illegible]~~ magnas ac maximas habemus gratias. Nam de Politicis: sat est: et quidem tam teneor, quam si dimittar onustus. Ipse mihi Bibliopola fateretur non nimium id bonâ fide agier, quod præter stipulationem distrahitur; nisi quod tardior opinione Amplissimus Rutgersius adesset, et lucelli gaudium suspenderet. Quod tuo nomine compactum exemplar ab Elzevirio jubes exigere. frustrà sanè, et ut videtur ex parum liberali de nobis opinione. Neque enim ij sumus qui in his talibus expensam fugere soleamus, vel autorum comitati iniiare, quò in librariorum nomina ne incurramus

ij